



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

Reg. I. De testamentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

orta sit mortalis infirmitas. Natalis Alex. Theol. dogmat. 10.1. de extr. unct. cap. 5. reg. 17. Senio autem confectis, & in diem morituris administrari potest, ut idem regul. cit. observat ex Concilio 4. Mediolanen. ratio est, quia extrema senectus per se morbus periculosus est.

6. Extremæ-unctionis Sacramentum administrari non debet infirmo, nisi post confessionem peccatorum suorum, & post Viaticum Corporis Christi, si recipere illud possit. Ita Catechismus Conc. Trid. p. 2. de Extrema unctionis Sacramento num. 23. ibi: *Servanda est Catholica Ecclesia perpetua consuetudo: ut ante Extremam-unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur.* Ceterum adolescentibus, qui adhuc ob defectum ætatis ad Eucharistiæ non sunt admissi, cum commiserint actualia peccata, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit, ut ibid. Catechif. n. administratur.

7. Extremæ-unctionis Sacramentum cuilibet Sacerdoti non licet administrare, sed solum proprio Pastori, hoc est, Episcopo, vel Parocho, vel cui ipsi commiserint.

8. Nec Regulares infirmis secularibus possunt illud ministrare, nisi recepta ab Episcopo, vel Parocho licentia; & quatenus sine ea illud administrant, incurunt excommunicationem reservatam Summo Pontifici. Clement. *Religiosi de privis.* Deficiente tamen Parocho, vel alio Sacerdote ab eo, aut Episcopo potestatem habente potest quilibet Sacerdos Regularis in casu necessitatis illud licite administrare. Sicut enim quilibet

Sacerdos potestatem habet absolvendi à peccatis, & censuris in mortis articulo constitutos, ita videtur, quod quilibet potestatem habeat in eo articulo administrandi illud Sacramentum, nè moribundus hoc beneficio privetur, & adversus extremas tentationes oleo Sacro non confirmetur.

## REGULA I.

### De Testamentis.

**S**ummariam hic Testamentorum notitiam Confessariis propino, ut de hac etiam re instructum dimittam.

9. Quare sciendum, quod Testamentum est dispositio ultima nostra voluntatis cum directa hæredis institutione. Dicitur dispositio, hoc est, ordinatio expressa verbo, vel alio signo externo, & proprie scriptura. Dicitur ultima voluntatis, quia Testamentum vim non habet, nisi post mortem Testatoris, juxta illud Apostoli ad Hebræos. 9. *Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris.* Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Dicitur cum directa hæredis institutione, hoc est, cum nominatione Successoris in universum jus Testatoris. In quo distinguitur à Codicillo, in quo hæres non instituitur, ut observat Ponticus Theol. disp. 54. q. 4. nu. 14. Et describitur à Polman. *Breviar. Theol. p. 2. par. 2. num. 520.* Quod sit ultima voluntatis testificatio sine hæredis institutione. Unde Codicillus non fit ad instituendum hæredem (aliàs foret Testamen-

(Yyyy) 2.

men-

mentum) sed ad aliquid legandum, ad explicandum Testamentum, vel faciendam institutionem fideicommissariaz; & proinde dicitur appendix ad Testamentum, in qua aliqua alia dispositio fit de bonis Testatoris distincta ab alia, quæ fuit facta in Testamento.

10. Differt Testamentum etiam à fideicommissio, quia in fideicommissio hæreditas committitur fidei hæredis substituto tradenda, quæ substitutio in Testamento non fit. Ideo fideicommissum describitur ab eodem Polman. *nu. 521. Est dispositio ultima voluntatis, quæ Testator hæredis sui fidei committit hæreditatem, ut eam, vel ejus partem substituto tradat.*

11. Queritur, *an in foro conscientie valeat Testamentum in eo Solemnitatibus juris non servatis?*

Remittendum, quod jus civile C. *Hac consultissima de testament. pro solemnitate tamquam de forma substantiali, in Testamento, tam scripto, & aperto, vel clauso, quam noncupativo (quo Testator verbis nuncupat hæredem, & voluntatem suam declarat) requirit numerum septem Testium, ut DD. observant. Fagnan. in 3. ad cap. Cum esset de Testam. num. 113. Engell. Colleg. jur. canon lib. 3. tit. 26. nu. 2. Et Gonzalez in 5. tit. 26. cap. 11. Quorum præsentia desideratur ob publicam utilitatem, ut ita securiorem exitum voluntates Testantium habeat, & fraudes absint.*

12. Modò ad dubium est certum apud Dianam *coord. 10.6. tr. 8. resol. 2. Fagnan. cit. ad cap. Relatum nu. 11. Petram comment. ad const. X. Innoc. III. sect. 3. nu. 3. valere Testamenta facta ad pias causas*

sine solemnitatibus juris civilis. Ratio est, quia jura Sæcularia non possunt præjudicare rebus spiritualibus, & ad supernaturalem finem, & salutem anime spectantibus, juxta *tex. in cap. Relatum & cap. Cum esset de Testament. Neque etiam necesse est, ut Testamentum sit factum eorum duobus, vel tribus Testibus, requisitis in allegatis capitulis, quia, ut observat Fagnanus ad d. cap. Relatum num. 9. Testes non sunt de solemnitate substantiali, sed probatoria, quæ per æquipollens adimpleri potest. Unde cum de voluntate Testatoris ad pias causas legitime constat, vel per Testes, aut schedulam manu Testatoris scriptam, vel signatam, est ejus dispositio implenda. Quapropter peccat læthaliter, qui non implet voluntatem Testatoris, etsi non observatis juris solemnitatibus, sed nudis verbis eam declaraverit, juxta *tex. in cap. Indicante, ibi. Cognovimus, quod moriens noster Redempti e concham argenteam nudis verbis jussit venditari, & suis dare liberis: & scutellam argenteam nudis verbis Monasterio reliquisse. In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri. Super quo videas etiam Natal. Alex. 10. 1. lib. 2. cap. 6. cap. 13.**

13. Testamentum autem ad pias causas factum censetur per DD. apud Dianam *resol. 1. quoties hæreditas devenire debet ad pias causas, vel hæreditas via substitutionis devenit ad pias causas, ut ad Ecclesiam, Monasterium, Pauperes, dotandas puellas, celebrandas Missas, &c. Diana resol. 37.*

14. Sed, an Testamentum ad pias causas conditum coram Parocho,

Et duobus Testibus ad prescriptum d. cap. Cum eses, valeat: Disputans DD. apud Fagnan. ad d. cap. Cum eses nu. 40. Et sequen. ubi, pro validitate plures allegat, cum quibus tradit, quod etiam Testamentum ad non pias causas factum sine solemnitatibus juris civilis, sed in presentia duorum Testium, & Parochi valet tam in foro civili, quam Ecclesiastico; pro qua opinione stat lex divina, canonica, & Ecclesiastica, ut in littera: ubi autem lex humana adversatur legi divina, servanda est lex divina, etiam in foro Sæculari: de contrarietate autem legis civilis ad legem Divinam in casu patet; quia lex civilis requirit numerum septem Testium in Testamentis: ubi jus divinum habet *Matth. 18. & Joan. 8. In ore dorum, vel trium Testium stat omne verbum*, ut expressè textus dicte Decretalis, & prosequitur Fagnan nu. 113. Proinde impugnari non potest Testamentum ad causas non pias ex non adhibito numero septem Testium.

15. Sed quid, si Testator, instante mortis periculo coram Parocho tantum, vel alio Teste declaravit suam voluntatem; an heres teneatur voluntatem Testatoris implere?

Resp. Affirmative, semper enim est mens Testatoris implenda, quoties quis de illa certitudinem habet, ut per Clavem Regiam lib. 3. cap. 7. Lessium. Mollesium, & Salas allegat. à Gabafut. *prax. jur. canon. lib. 6. cap. 3. num. 4.* asserentes heredem ab intestato, qui certus sit, vel esse debeat de Testatoris voluntate in Testamento, aut Codicillis, solemnitatibus juris carentibus comprehensa, tunc sub mortali ex juris naturæ obli-

gatione restituere hereditatem, & solvere legata secundum mentem Testatoris, & probat D. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 3. §. 14. allegat. à cit. Natal. Scribens nota; quod cum quis sanus, vel infirmus, (qui est sanus mentis) ultimo disponit de bonis suis, de quibus potest disponere, per simplicem scripturam, vel verba solum, non violentatus, vel circumventus sine Notario, & Testibus debitis, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientie; & heredes, quibus hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum. Et Poncius cit. dixit, quod ad Testamentum ex natura rei nulla requiritur solemnitas, sed sufficit significatio voluntatis Testatoris, sive vocè, sive scriptis; vel etiam nutibus, aut ad interrogationem alterius per Petram nu. 40. quæ tamen debet sufficienter innotescere, ut alios obliget ad se confirmandum. Et concordat Engel cir. num. 14. ubi notavit, quod Presentia Parochi, & testium, etiam secundum jus Canonicum non est de substantia, sed tantum de probatione; & se subscribit asserentibus in conscientia esse debitum, quod testator sine omni solemnitate reliquit, dummodò de ejus voluntate constet: ultima enim voluntas rationabilis defuncti modis omnibus conservari debet, cap. ultima 13. q. 2. 4. Ad probandum in testamentis ad pias causas, admittitur etiam testimonium mulieris, licet de jure civili non soleant mulieres admitti Fagnan. cir. cap. Relatum nu. 14. & Petra num. 29. Diana resol. 20. testamenta enim ad pias causas sunt privilegiata.

16. Quæritur, an testamentum prin-

(Yyy) 3 cipa-

*cipaliter ad pias causas valeat sine solemnitate conditum, etiam quoad legata profana?*

Resp. Affirmativè, ita Diana *cit. resolut. 4. Engel. cir. nu. 19. Layman Theolog. moral. lib. 3. to. 5. cap. 2. nu. 10.* Quia secundum vulgatum juris axioma, *Principale trahit ad se accessorium*; & proinde si testamentum sine solemnitate valet, & fidem facit quoad hæredis institutionem, vel majorem partem bonorum, valebit etiam, & fidem faciet quoad relictâ qua legata: si enim creditur hæres illo testamento institutus, credendum etiam est, ut sit institutus cum onere, & obligatione exequendi dicta legata.

Nota. I. Quòd licet regulariter non sustineatur testamentum sine hæredis institutione, sustinetur tamen quoad relictâ pia. Petra, pluribus cumulatis *num. 45.* & Diana *resolut. 30. & 33.* quia relictâ pia sunt privilegiata.

II. Quòd dispositiones favore causæ piæ commissæ alieno arbitrio, & voluntati valent, concurrentibus probationibus necessariis, quòd relictum sit in causam piam. Petra *nu. 56.* & Diana *resolut. 28. & 29.*

III. Quòd si Testator in testamento, vel coram testibus voluntatem suam declaravit, quòd velit quædam ad pias causas erogari, sicut Confessario suo mandaverat, Confessarius est audiendus, & secundum suam relationem est executio faciendâ; modò talia indicia afferat, ut, inspectis circumstantiis, verisimile sit defunctum ipsi mandasse. Diana *resolut. 23. num. 4.* & Layman: cum aliis.

IV. Quòd, si moribundus cæpit fa-

cere testamentum, vel codicillum, & morte præventus non absolvit, valet quoad relictâ pia, in ipsa ejus imperfecta dispositione expressa; licet enim potuerit Testator suam voluntatem mutare, cum tamen de mutatione non constet, naturali, ac canonico jure, firma esse debet. Diana *resolut. 24.* cum Layman.

17. *Queritur, Lalius sapè adhuc vivens coram nonnullis suam voluntatem aperuit his verbis: Voglio lasciare la mia robba alla Chiesa Parochiale: deinde apophesia pulsatus sine alia animi sui declaratione decessit: dubitatur, an dicta Ecclesia possit pretendere successione in hereditate d. Lalii, exclusis aliis hereditibus venientibus ab intestato?*

Resp. Affirmativè, quia per ea verba inducitur hæredis institutio, maxime ad pias causas, ut ex Claro tradit De Luca *ad Ventrigl. prax. to. 2. amoral. 28. §. 1. sub n. 17. in append. & idem significant, ac dixisset, volo Ecclesiam Parochialem esse hæredem bonorum meorum: quæ verba important voluntatem perfectam, ut etiam notavit Petra *nu. 49.* & juxta Bar. *in l. cunctos populos, num. 2. cap. de sum. Trinit.* Verbum *volo* in actionibus hærentibus dependentiam de futuro inducit voluntatis declarationem. Consideratur enim, quòd causa pia est privilegiata, & iuste dispositio, & testamentum ambiguum semper pro causa pia est interpretandum. Petra *nu. 4. 2.**

18. *Sed quid, si dixisset Voglio fare hærede la Chiesa. N. e questo lo fare, quando irtornerò è caso.*

Resp. Per hæc verba non videtur dispositio facta, sed respicere eam, quam declina-

destinaverat facere. & ideo important voluntatem imperfectam connotantem potentiam, seu velleitatem, ut scribit *Petra nu. 49.* Crederem esse distinguen- dum; vel *Lalius* antequam rediret do- mum, fuit morte prævencus, adedque impotens factus ad condendum testa- mentum: vel sanus rediit cum tempore habili ad testamentum faciendum? In secundo casu verba illa velleitatem im- portant, quia potens testamentum fa- cere non fecit. In primo verò perfectam voluntatem concludunt; & solum ad fu- turum tempus dilata fuit stipulatio, vel scriptio testamenti; quod ideo non condidit, quia eum mors prævencit.

19. Quæritur, *Titius in suo testa- mento relinquit legatum pro puellis ma- ritanis; petitur, an possit conferri non nu- bentibus, seu religionem ingredientibus?*

Resp. Affirmativè; cum *Diana resol. 43. num. 2.* præsumitur enim Titium non esse locutum exclusivè: Tum quia Ma- trimonium Spirituale, cum carnali quo- ad hoc pari passu currunt. *S. Congreg. Episc. in Pisaren. 26. Augusti 1616.* apud *Monacell. for. p. 2. for. 1. num. 18. tit. 14.* Aliàs dicendum, si fuisset adjecta conditio, quod solveretur in manibus mariti pro Dote: nec aliis, nec pro alia causa: vel, quod decedentibus sine fi- liis, legatum rediret ad hæredes legan- tis: tunc enim non poterit dari pro Vir- gine *Monachanda*, ut respondit *Sac. Congreg. Concil. in Baren. 15. Septemb. 1668.*

20. Quæritur, *Cajus in suo testa- mento relinquit legatum Sacrificia, vel Ecclesia Fratrum. Min. de Obser. vel Capuc- inorum pro cera, & oleo, ac alia ad*

*Divinum cultum: petitur, an sit im- plendum?*

Resp. Affirmativè, quia Fratres ad hujusmodi legata incapacitatem non habent juxta dicta *lib. 1. cap. 32. nu. 23.* debetque per Syndicum investiri pro ad- implenda Testatoris voluntate, ut de- crevit *S. Congreg. Episcop. in Foro Sem- pronien. 21. Augusti 1693.* Immo, si gravetur hæres, illud subministrare tenetur, ut dixi *loc. cit. num. 32.* Cæterum præstationes dictorum legatorum in alios usus, quàm à Testatoribus taxatos converti non possunt. Circa quæ legata dixit *Ventrigl. to. 2. prax. annotat. 28. §. 2. num. 17.* Quod non potest *Fabrica S. Pe- tri* prætere legata annui redditus perpetui facta Ecclesiæ, & Sacrificia il- lorum Fratrum, non ad ipsorum victum, sed ad certum Divini cultus usum; ut, si sit legatum oleum pro lampadibus, ves- tes, & ornamenta Ecclesiæ, & Altaris, & similia, quia prædicti Fratres sunt ca- paces legatorum prædictorum, quæ non concernunt commoditates Fratrum, sed Divinum cultum, nec adversantur illo- rum paupertati, ut dixi *Offic. Cur. Ec- clesiæ. cap. 30.*

21. Quæritur, *an hæres non confi- sciens inventarium teneatur in foro con- scientie ad solvenda de proprio legata pia, & debita ultra vires hæreditatis?*

Resp. Negativè, quia nec Ecclesia, nec pia loca debent secundum conscien- tiam vivere, nec exigere ab hærede, ul- tra vires hæreditatis, quidquid sit in fo- ro fori, ut dixit *Rota coram Coecino, decis. 1462. num. 27.* apud *Monacell. cit. num. 22.* *Fagnan. in 3. ad cap. Si quis de regul. num. 28. & 71.*

22. Quæ-

22. Quaritur, *Cajus instituitur haeres, & rogatur, ac gravatur, ut alteri hereditatem restituat; petitur, an possit sibi retinere quartam partem, qua dicitur Trebellianica?*

Resp. Affirmativè, per text. in cap. *Raynutius de testament.* cum sua Glossa verb. *quartam partem*: & verb. *à tempore litis* notat, quod à tempore litis contestatae fructus computantur in quartam, nisi praesumendum sit, quod Testator voluerit es haeredi applicare. De la Cruz *director. conscient. praecept. 7. q. 1. art. 5. dub. 8. concl. 2.* Trebellianica autem est *quarta pars hereditatis, quam à fideicommissis detrahere potest haeres, nisi est facta substitutio commissaria.* Polman, *Breviar. Theolog. p. 2. part. 2. numer. 535.*

Intelligitur autem, nisi testator prohibuerit deductionem Trebellianicæ, ut, si dixerit, *rogo, mando, vel volo*, ut sine ulla diminutione restituas hereditatem Francisco, ut per Menoch. apud *Dian. resol. 105. numer. 13.*

23. Cæterùm, si haeres institutus esset non voluntarius, sed necessarius juxta dicta *lib. 2. cap. 19. numer. 17.* licet Pater prohiberet deductionem Trebellianicæ, adhuc posset Filius oneratus ad restituendam hereditatem detrahere legitimam statim à morte patris, ut ex *Vadino* dixit *ibid.* Diana *num. 19.* nam jure naturæ debetur Filio, & gravari in eam non potest ex *d. cap. Raynutius*, quod si Testator deductionem Trebellianicæ non prohibuerit deduci. Tunc haeres necessarius potest statim à morte Testatoris legitimam detrahere, & postea, eveniente conditione restitutionis hære-

ditatis, ipse, vel ejus haeres Trebellianicam detrahere possunt de iis, quæ remanent; Diana *cit.* & *Glof. ad allegat. Cap. verb. legitimam.* Est autem legitima portio successione jure naturæ debita haeredibus ab intestato Polman *cit. numer. 527.*

24. Quaritur, *Lelius instituitur haeres, & gravatur à Testatore, ut pluribus legatis conferat; petitur, an possit ex legatis Falcidiam detrahere?*

Resp. Affirmativè: Sed, ut observat De la Cruz *conc. 3. illa* deducitur ex bonis remanentibus, detracta legitima ab haerede necessario, solutis debitis, expensis funeris, testamenti, codicilli, & inventarii, & solutis legatis Ecclesiæ, hospitali, loco religioso, pauperibus, aut alteri loco pio: ex istis enim Falcidia non detrahitur, sed integre solvuntur: sicut non detrahitur, si id Testator prohibuerit. Neque ex illis bonis deducitur, si haeres non fecit inventarium tempore debiti, quæ Falcidia deducenda est juxta estimationem bonorum tempore obitus Testatoris: Meliorationes enim, & fructus, sicut & deterioratio sunt hæredis, & non legatarii, ut ex *Hegone* *ibid.* De la Cruz.

Falcidia autem ab allegato Polman *nu. 534.* describitur, *hereditatis quarta pars, quam haeres potest detrahere à legatis, & donationibus, mortis causa.*

25. Adversandum. I. Si Testator habet filios, pietas exigit, ut illis ad vivendum, & ad statum suum sustentandum necessaria relinquat, prior quam de piis causis cogitet. Natal. *Alex. regni. 4.* & habetur ex *D. Augustino sermo. 555. cap. 4. ibi: Quicumque vult ex hereditate*

eo filio, heredem facere Ecclesiam, quarat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio, neminem inveniet.

26. Dantur causæ legitima, propter quas Titius à Patre exheredari potest, ut si manus violentas in parentes injecerit: si de crimine accusaverit, exceptis criminibus læsæ majestatis, & Hæresis: si mortem Patri, vel Matri molitus fuerit, etiam effectu non secuto: si thorum paternum violaverit; si bona parentum dilapidaverit: si Filia innupta luxuriosè vivat, ibidem Natal.

27. Cæterum partes Parochorum, & conscientia moderatorum esse debent, ut Patres Filiis reconcilient juxta Augustinum loc. cit. *Si quis irascitur in filium suum, & moriens exhereditat eum, si viveret, non eundem placarem? non ei filium suum reconciliare deberem?*

28. II. Quod filii spurii, seu ex adulterio, vel incestu, aliique ex illegitimo coitu progenti, hæredes à Parentibus institui non possunt: *Authent. licet in fine C. de Natural. liber. Diana resolut. 112. num. 1.* Jura enim reddunt filium spurium incapacem paternæ hereditatis. Cæterum Parentes jure poli, & ex lege naturali, tenentur eis subministrare alimenta, ut ibid. Diana, & est textus expressus in *cap. cum haberet de eo, qui duxit in Matrem quam posuit.* Unde observant Natal. *Alex. regul. 7.* & Diana *num. 3.* quod nec spurius, aut ex damnato coitu progenitus, cui Pater portionem bonorum suorum testamentò, codicillò, aut fideicommissò reliquit, non potest ipsam tuta conscientia retinere: sed, quod ultra necessaria ad *Marthaucii Cautela Confess.*

viatum, & vestitum sibi relictum fuerit, tenetur legitimis hæredibus restituere, ne alienum retineat.

29. An autem hæres, cui donata, vel testamento relicta fuerunt bona habentis filium spurium, teneatur in defectum Patris ejusdem filium alere?

Resp. Affirmativè, si indigeat, neque aliunde habeat, juxta dicta cum Diana *num. 8.* & si femina sit, debet eam dotare: dos enim datur loco alimentorum, ibid. Diana *num. 12.* ubi resolvit teneri Sacerdotem filiam spuriam dotare, quem non omittas recognoscere.

30. III. Quod Filiis, & consanguineis præponi debet restitutio bonorum malè acquisite, dicente Augustino *epistol. 153.* *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur penitentia, sed fingitur: si autem veraciter agatur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Atque ita debet Testator ante omnia prius restituere res alienas, quam filiis, vel cognatis providere.

31. Sed quid, si Filiis, & parentes facta restitutione redigendi essent ad mendicitatem?

Resp. Etiam in causa tenetur rem alienam restituere. Tam enim non potest bona aliena ad hæredes transmittere, quam ei furari, non licet, ut illis benefaciat, & ipsorum inopiam sublevet. Ita usurarius manifestus testari non potest, nisi prius restitutus usuris, vel præstita cautione pignoratitia, vel fidejussoria de restitutione facienda. Caput *Quamquam de usur. in 6.*

32. Nec hæres potest uti præscriptionis privilegio, si mala fide possedisse  
(222) con-



conflet; aut verisimile est mala fide eum possedisse, qui transmisit ad ipsam hereditatem; nam *vitia possessionum à maioribus contracta perdurant, & successionem Authoris sui culpa comitatur. Cap. vitia de acquir. & retinen. penes, &c.*

33. *Quaritur, an Testator carens parentibus, & filiis, possit instituere heredem extraneum, relicto nepotibus, & consanguineis?*

Resp. Negativè, si adsit scandalum, vel si Nepotes, & consobrini graviter indigeant: ordo enim charitatis exponit, ut quis prius suis subveniat, quam alienis, ita Diana *resolut. 108.* & Natal. *regul. 5.* Propterea secundum hanc practicam debent Parochi, & conscientiarum moderatores dirigere Testatores in confectioe testamentorum, & codicillorum.

34. *Quaritur, an Pater, aut Mater possit de propriis bonis plus uni Filio relinquere, quam aliis?*

Resp. Affirmativè, dummodò istæ concurrant. I. Quòd reliqui filii non priventur legitima portione eis naturali jure debita. II. Quòd inæqualem distributionem non facient ex odio: Si enim ex odio facerent, & nollent mutare testamentum, non essent absolvendi, Diana *resolut. 108.*

35. *Sed quid, si dicerent, se odium deposuisse, & de habito penitere, sed nolle mutare testamentum?*

Resp. Diana ibidem tradit esse absolvendos. Verùm censerem resistantiam ad revocandum testamentum esse signum sufficiens, ut Confessarius posset colligere odium non esse depositum, idèò studere debet, ut revocatione testa-

menti motivum sibi præbeat de efficaci odii depositione.

36. Observat tamen Layman *lib. 3. tit. 5. cap. s. n. 13.* Quòd plerumque Parentes peccant, si sine justa causa, & inordinato affectu inter liberos successione inæqualitatem constituunt; ut quia ex diversis matrimoniis nati sunt, quorum unam Matrem magis, quam alteram testator dilexit. Verùm ut Diana *resolut. 509. num. 2.* dixit, postulat esse justæ causæ id faciendi sine peccato, ut si aliqui majoribus obsequiis apud Patrem magis meriti fuerint: si aliqui plus indigeant, quia bonis adventitiis careant; si adhuc pusilli magnis sumptibus in studiis adjuvari debeant; si secundum loci consuetudinem prius geniti aliis, & masculi faminis in successione præferantur. Alia videri possunt *Official. Cur. 1. Eccles. cap. 53.* Testamentum potest à Testatore mutari, & secundum solvit primum, de qua re Layman *cit. cap. & De la Cruz n. 4.*

## R E G U L A II.

### Sepultura.

35. **H**ic aliqua etiam sunt de sepultura adnotanda, remittendo Confessarium ad ea, quæ dixi *Offic. Cur. cap. 48.* Sciendum itaque, quòd unicuique adultò Sæculari liberum est sibi eligere sepulturam; nulla autem facta electione, in Parochiali sepelitur, si in alia Ecclesia non adsit sepulchrum majorum, capite. *Nos instituta de sepultur.* Verùm, cum quis in alia Ecclesia sepelitur, est solvenda Parochiali canonica portio, seu quarta